DE GLOSSIS QUIBUSDAM VERGILIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIX.

H. XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AEMILIUS ELIAS STEINMEYFR

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. ENGELMANN, DR. PHIL.
F. IONAS, STUD. PHIL.
H. SCHUBERT, STUD. PHIL.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

DE GLOSSIS QUIBUSDAM VERGILIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IV. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIX.
H. XI.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

E
AEMILIUS ELIAS STEINMEYER
MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

R. ENGELMANN, DR. PHIL.
F. IONAS, STUD. PHIL.
H. SCHUBERT, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT CAROLUS FEICHT.

CAROLO MUELLENHOFFIO

PIO GRATOQUE ANIMO.

Ineunte proximi anni vere a Muellenhoffio, praeceptore summe venerando mihi traditae sunt, quibus studium navarem, glossae quaedam Theodiscae ad Vergilii carmina adscriptae. exstant in bibliothecae imperialis Parisiensis codice latino, qui nunc signatus est numero 9344, olim vocabatur 'supplément latin 683'. est codex membranaceus, saeculi undecimi, formae maximae; continet praeter Vergilii opera, quae initium capiunt ab eclogae quintae versu vigesimo octavo: 'interitum montesque', inde a folio 191 etiam 'Prisciani in XII principalibus versibus Aeneidos tractatum'. pertinent glossae ad Bucolica, Georgica, Aeneidos libros decem priores, principio quidem singulis vocibus adiectae, postea vero maximam partem in margine utroque notatae. voces has theodiscas anno 1865 G. Fröhner descripsit, postea, cum ipse, aliis in studiis detentus, edendi negotium suscipere nollet, ad Simrockum detulit. Quas vir ille clarissimus ea qua erga amicos utitur facilitate animi humanitateque dono dare haud cunctatus est Muellenhoffio, cuius rogatu denuo ab Ernesto Martino sunt collatae auctaeque. aliquot denique locis in meum usum manuscriptum inspexit Jos. Herzius amicus, qui nunc Parisiis versatur.

Sed antequam ad has ipsas glossas contemplandas transeo, breviter de ceteris interpretamentis Theodiscis ad Vergilium spectantibus, quae quidem mihi in notitiam pervenerunt, agam, quia postea nonnunquam ea commemorare coactus ero.

Vetustissimae eae glossae mihi videntur esse, quae in vocabulario Selestadiensi (apud Hauptium V.) sextum locum obtinent quasque iam G. Wackernagelius animadvertit maxime ad Vergilium pertinere. quae quamvis nunc, in ordinem alphabeticum redactae, glossarii formam prae se ferant, facile tamen est ad intelligendum, collectas eas esse ex codice aliquo Vergiliano, in quo

singulis vocibus latinis affixae erant. postulant hoc formae vocabulorum Germanicorum, quae interdum quid significent, intelligi non potest, nisi Vergilio integro in auxilium vocato. atque quo pleraeque glossae sint referendae, hoc modo investigabis. si vel obiter illud glossarium inspexeris, videbis intra singulas literas ordinem alphabeticum non esse servatum. ea enim ratione is, qui glossarii formam constituit, usus est, ut, quos excerpere sibi proposuerat, Vergilii libros uniuscuiusque literae causa perlegeret et voces latinas quae glossis ornatae essent, eo, quo in Vergilio se obviam ferrent, ordine conscriberet: quarum maxima pars ad eclogas omnes et Georgicon librum primum quartumque pertinet, nonnullae fortasse ad Georgicon librum secundum et tertium, Aeneidos primum secundum, sextum, septimum referendae sunt. dixi antea: 'pleraeque glossae' et 'fortasse' eam ob causam, quod circa sexaginta voces remanent, quae, cum apud Vergilium non exstent, utrum ex Servio an ex glossario aliquo Isidoriano excerptae sint, diiudicare non possum. accedit, quod nonnunquam ordo ita turbatus est, ut locus Vergilianus, quo glossa pertineat, certo non possit definiri. alamannicas esse has glossas, per se patet; sed quo in monasterio quove tempore eas natas esse arbitremur, inde pendet, quantum originali exemplari quantum alphabetici ordinis auctori tribuamus. ego Sancti Galli in monasterio Hartmuati tempore conscriptas eas esse puto.

Sequuntur glossae Tegernseeenses, a Graffio in thesauro adhibitae (VE, VG, VA signatae). Extant in codice Monacensi Am. 18059 saeculi undecimi. vocum vero formae aliquanto mihi videntur esse vetustiores, ita ut de apographo cogitari possit. quandam adesse affinitatem cum glossis Selestadiensibus, de quibus modo dixi, negari non potest; nam eisdem locis haud raro in utroque monumento eaedem voces theodiscae occurrunt. compara igitur exempli causa Georg I. 4: parcis argen gl. Sel. 471 parcis apibus argen; Georg I. 53: regio plaga zelga gl. Sel. 530 regio celga; Georg I. 63: ergo age pidiu uvola gl. Sel. 190 ergo age wolga pidiu; Georg I. 71: cessare kirastan gl. Sel. 107 cessare kirestin; Georg I. 74: siliqua hala, cheuua, quassante chlaffantero gl. Sel. 510

quassante siliqua claffontero chevun; Georg I. 72: situ gilegidu gl. Sel. 555 situ kilikido; Georg I. 174: imos aftanentigen, currus redir gl. Sel. 319 imos currus aftinantikiu redir; Georg I. 183: talpae sceron gl. Sel. 634 talpa scero; Georg I. 202: praeceps tiuffi, prono dratero, alveus runst gl. Sel. 312 in preceps in thiuffi, 484 prono amni dratero aha, 36 alveus runs; Georg I. 184: bufo chreta gl. Sel. 64 bufo creta; Georg I. 207: ostriferi scalatragun gl. Sel. 431 ostrifer scaletrager; Georg I. 266: fiscina chasibora gl. Sel. 239 facilis fiscina lihtiu chasibora; Georg I. 279: creat gipar gl. Sel. 117 creat gipar; Georg I. 304: puppibus stivrun gl. Sel. 486 puppibus stiuron; Georg I. 305: stringere ziscuttanne gl. Sel. 585 stringere scutten ł sniden; Georg I. 321: stipulas pletir gl. Sel. 588 stipulas pletir; Georg I. 326: diluit ziflozit gl. Sel. 166 diluit zirflôzzit; Georg I. 384: rimantur azont, crupilunt, snapalont gl. Sel. 538 rimantur snabilont ł gruhilont (l. grubilont); Georg I. 389: spatiatur sperzipeinot gl. Sel. 594 spatiatur sparcibeinoth; Georg I. 390: carpentes zīesento gl. Sel. 125 carpentes ceisinte; ibidem: pensa vuicchili gl. Sel. 488 wicchiliu; Georg I. 392: scintillare raskezzan gl. Sel. 595 scintillare raskizcin; Georg I. 398: pandunt spreitant gl. Sel. 490 pandunt cirspreitint; Georg I. 413: actis arlitanen gl. Sel. 51 actis imbribus erlitinen reginen; Georg I. 419: rara fohol dunno (l. foho ł) gl. Sel. 539 rara dunniu; Georg I. 449: salit screchot gl. Sel. 606 salit screcchot. nec minus quam hoc in libro, ex quo ne omnia quidem exempla dedi, utrumque monumentum in Bucolicis subinde congruit.

Praeterea usus est Graffius codice Wihestephaniensi, nunc in bibliotheca Monacensi litera Am. 21562 signato (VE2, VG2, VA2), cuius glossae Bucolica, Georgicon librum I—III, Aeneidos V—XII, excepto septimo, complectuntur. qui codex fine saeculi duodecimi, ut patet ex nomine Altuni abbatis in fronte libri posito, descriptus est de manuscripto eiusdem bibliothecae Am. 305, quod, saeculo undecimo confectum, nonnullas glossas sive integriores sive plures praebet; Graffio non innotuit. cum numerus glossarum non admodum magnus sit, definire non possum, quatenus cum ceteris, de quibus dixi, monumentis cohaereat. in his reliquiis Monacensibus

cognoscendis Muellenhoffius liberalissime me adiuvit, cum mihi apographa nova a F. Keinzio confecta suppeditaret.

Quartum in glossis Selestadiensibus locum occupat vocabularius qui inscribitur 'super Vergilium'. ordo vocabulorum quae, intermixtis scholiis Servianis, ad plerasque eclogas, Georgica, Aeneidos partem pertinent, paululum est conturbatus.

Glossas Berolinenses, Vergilii eclogis I, II, III, VII, X et Georgicon libris I, II, IV annotatas publici iuris fecit Bethmannus apud Hauptium V. 208 sq. ego, collato codice, circiter triginta voces quas omisit, inveni.

Vergilianas vel potius Servianas glossas exhibet glossarium Junii H. inde ab initio (p. 387 Nyerup) usque ad paginam 391, quae, servato recto ordine, petitae sunt ex Georgicis et Aeneide, quasque in regionibus ad Rhenum inferiorem vergentibus natas esse, dialectus ostendit. a pagina 392 'Athos mons Thraciae' incipiunt etymologiae ex Isidoro excerptae, inter quas nonnullae sese voces obviam ferunt, quarum fontes indagare mihi non contigit; finem faciunt plantarum nomina.

Frustra apud Hattemerum glossas a Graffio Virg. G 3. signatas quaesivi; nam ex codice Sg. 1394, in quo illas extare Graffius dicit, nihil Hattemerus affert praeter formulam confessionis (I. 325) et tres glossas (I. 423) quarum una summum: uiciae uuichi Georg. I. 75, Vergiliana esse potest.

Saeculi denique quinti decimi glossas, quae ad nostram rem nihil faciunt, praebet Mone, anzeiger für kunde der teutschen vorzeit. VI, (1837) p. 437.

Redeo nunc ad glossas Parisienses, quae ad quam dialectum sint referendae et quo tempore ortae esse videantur, quantum potuero, demonstrare conabor. itaque primum, quomodo se habeant consonantium, quomodo vocalium rationes, explicabo, deinde quemadmodum nominum ac verborum formae flectantur, enarrabo. initium faciat dentalium ordo.

D litera in vocabulorum initiis collocata respondet dialecti vere Theodiscae (strengahd) literae *t*; eiusdem autem dialecti literae *d* in: *d*ingstat 237, *d*unnk 335, er*d*ructa 756; item in media voce *d* respondet *t* literae, ubi notanda est forma a*d*ochez 62, cum sit apud Anglosaxones a*t*ih; literae vero *d* in: lei*d*er 12, egi*d*un 84, uui*d*a 190, fla*d*un 224, xxgblxxfk*d*xn 232, bo*d*ema 233, gffk*d*fmp 236, nk*d*frf 258, fle*d*rpmusin 321, uuk*d*frahtende 351, xxk*d*rpdb 381, gelegi*d*a 425, ni*d*iriu 460, neuue*d*er 551, ni*d*erlegit 560, e*d*ili 580, sta*d*alon 627, tra*do* 673, uuei*d*espiezi 886.

T in vocum exordio posita idem valet a) quod vere theodisca *t*: 1) in coniunctura *tr*: *tr*bh 46, heri*tr*unbun 242, unge*tr*iuuuo 375, miss*tr*uuuen 376, ge*tr*agit 401, *tr*oistanne 471, un*tr*eua 579, heri*tr*umba 624, *tr*ado 673. 2) in voce *t*uckhl 875; b) quod vere theodisca *d*: 1) in coniunctura *tw*: in*tuu*eri 530. (ita enim scribendum est pro eo, quod codex praebet: inuu'eri), 2) in vocabulis *t*akkes 557, *t*utisscomo 729. c) quod vere theodisca *z*: *t*fsamene 141, adhum*t*uitti 696. d) quod latina *t* vel *th* in vocabulis illa ex lingua derivatis: *t*uscanischen 420, *t*upfteine 517, *t*orson 677, *t*epidun 835. in media voce *t* idem declarat: a) quod vere theodisca *t*: clafe*t*un 554, unbuuale*t*a 671, tu*t*isscomo 729, ro*t*es 766 (sed ro*d*·kx 250, ro*d*an 452), gebadhe*t*er 783, erspie*t*un 822. b) quod latina *t*: camera*t*un 216, E*t*isa 909. deinde *t* locum habet post consonantes labiales et gutturales, exceptis his: uubrp*d*a 889 (sed 550 uuarp*t*a), genup*d*an 846; furkscrkh*d*b 924, cfr. etiam 742 annot. *hd* in be*hd*ikamera 612 pro *dh* posita esse videtur ita ut eodem modo quo *th* (ubi vide) pro *tt* locum habeat. cum *z* litera coniuncta *t* ter adest: stur*zt*a 336, bina*zt*a 691, uua*zt*un 707; bis *d* adhibita est: genaz*d*a 692, geriz*d*a 888. coniuncturam vere theodiscam *nt* exprimit nostrum monumentum nunc *nt* nunc *nd* posita; praeterea utitur literis *nd* etiam ad significandam vere theodiscam *nd*; de *nth* in xxfk*nth*vn 235 obvia vide annotationem. *rd* respondet vere theodiscae *rt*, nec non *rd* in vocibus uue*rd*an 825, uui*rd*it[h] 899, nisi hoc loco suprascriptam *h* ad *rd* referre praestat. *rt* semel reperi in voce mi*rt*el 155. *ld* usurpatur pro vere theodisca et *lt* et *ld*.

TH, si primae literae fungitur munere, idem significat quod

vere theodisca *d*, excepto vocabulo *th*rusana 134, in quo frequens usu venit commutatio cum druos. cfr. Graffii thesaurum V. 546. idem valet quod in principio, in media voce, nisi posita est pro *tt*: cle*th*un 5, 290. cle*th*a 102. *th* pro *ht* agnoscenda fortasse est in 'be*th*erquomon' 933, cui voci, nisi deleta *e*, mederi non possum. puto enim legendum esse btherquomon h. e. ather- pro ahterquomon. *thth* semel occurrit in mi*thth*unt 563. paene eodem modo scribit auctor versionis Isidoriani tractatus (X^{b}, 5.) fethdhahha.

Cum *th*, sive in prima, sive in media voce collocata est, prorsus consentit *DH*, cuius exempla haec sunt: *dh*uo 563, ge*dh*ingi 939; xxfgfscfk*dh*b 221, bo*dh*omo 489, sper*dh*erende 524, a*dh*umtuitti 696, geba*dh*eter 783, ungequi*dh*eda 832.

Post syllabas correptas *z* et *zz* promiscue adhibentur; velut fernp*z*fnfrb 9 et farno*z*cenes 147, samefre*z*enna 596 et umbefre*zz*an 600; *sz* pro *zz*, pronuntiationem imitans, exstat 380: ma*sz*eldra. *z* pro *s* posita est 62. adoche*z*, *s* pro *z* 679. run*s*on, 680. run*s*oda.

In fine semper *t* adhibita est, exceptis his vocabulis: manu*th* 161; (in fuozsu*th* *th* pro *ht* usurpatur; de uuirdit^{h} 899 iam dixi.) stirnilp*d* 303, nor*d*uuint 331, thegono*d* 776, her*d*stat 935. — *t* in fine vocis uuagxn*t* 911 obviam puto esse lapsum calami. praeterea *t* pro *z* commemoro in voce gre*t*uuardun 559.

Coniunctura *tt* occurrit his locis: osenbri*tt*a 90, si*tt*iruurz 297, be*tt*ibrede 369, hu*tt*un 461 (de alia quadam *tt* dicam, si de gutturalibus egero). 682 scriptum est in codice ouarscri^{e}*tt*it; ubi si *i* correcta est *e* suprascripta, non possumus non legere ouarscre*cc*it. Quod (etiam sententia respecta) melius mihi videtur esse, quam ouarscriettit, ita ut scriba addiderit *e*, praesertim cum *ie* pro *î* tam crebra non sit, ut corrigendo opus fuerit. *td* inveni his in vocabulis: plkbfk*td*kn 240, ple*td*a 507, ble*t*^{h}*d*un 652 (cfr. quae annotavi ad 507). erbro*td*enemo 861. ad *td* pertinent coniuncturae *pb* et *cg*, quae omnes apud Isidorum (dau*cg*al I^{a} 21, bi*td*ante XXI^{b} 20, XXII^{a} 4, si*pb*ea XI^{b} 15) praesto sunt. quo ex numero *pb* in nostro monumento pro *pp* occurrit: 942 gflx*pb*pn. cfr. notam ad 72. — *dd* propter contractionem ortam observavi 836 in uzsnu*dd*a.

Pergamus ad ordinem labialium. *B*, et in prima et in media voce collocata respondet vere theodiscae *p*; posterioris vero *b* locum saepissime occupat *v* (*u*), id quod semel vel in exordio fieri videtur: 537 ge*u*olana (cfr. gl. Wiesbad. apud Hauptium VI. no. 259: *u*ersbotde). praeterea *b* pro *v* in voce media usurpata est 428: uue*b*al. deinde *b* idem valet quod latina *p* in *b*iron 199, 200, 289; quod *pf* in brimun (?) 188, vide Graff. Thes. III. 366/7.

P idem declarat quod vere theodisca *ph* vel *f* et in exordio et in medio vocum; quod *ff* in gp*p*pn 248; quod *p* in *p*letda 507, uuar*p*oloda 547. latinam *p* retinet te*p*idun 835. coniuncta cum dentalibus posita est et *p*: uuar*p*ta 550, uubr*p*da 889, (in genu*p*dan 846 *p* locum literae *pf* obtinere videtur) et *b*: erstou*b*ten 734, et *f*: fur*f*tun 705, uuar*f*ta 863.

F vel *V* et in initio et in medio adhibita respondet vere theodiscae *f*, exceptis his vocibus: zp*f*rxngb 38, uuar*f*oloda 442, hal*f*u 853, ubi idem quod vere theodisca *p* significat.

PH in medio inveni pro vere theodisca *f* in: hou*ph*on 752, stri*ph*ahten 795, pro *pf* in suk*ph*xn 676; pro latina *p* in pie*ph*o 903.

In fine nunquam *b*, sed aut *p* aut *f* reperi. atque respondet *p* vere theodiscae *p* in gfdrk*p* 330, drk*p* 50, sel*p*uua 344, sueri-sta*p* 718; literae *f* in uuar*p* 43, 429, sa*p* 730, literae *pf* in do*p* 674. *f* autem idem est quod vere theodisca aut *f* aut *p* (cpr*f* 68, hal*f*dieres 753, sel*f*scoz 915, cfr. 406 annot.) *pf* occurrit in tu*pf*-teine 517; cum autem ante *t* desit *s*, legendum esse censeo: tupsteine.

PP idem est 1) quod vere theodisca *pp*; uue*pp*es 149, uur*pp*i 325, uue*pp*e 874. 2) quod *pf*: e*pp*e 16, e*pp*ele 153. *ff* inveni in la*ff*a 507; lu*ff*enon 79, hie*ff*uldrun 291, cla*ff*ende 640.

Transeo ad literas gutturales. *G* in vocum exordiis collocata respondet vere theodiscae *k*, quatuor exceptis locis, ubi literae *j* munere fungitur: *g*edun 105, zui*g*arie 439, *g*ar 440, ge*g*azet 497. ceteroquin *j* servata est, velut in vocibus: ei*i*er 175, *i*agari 443, *i*ageda 525. in medio vocabulo idem est atque vere theodisca *k*; idem atque *h* in fora*g*a 817. eiecta est in geneiau 17 (eadem

forma geneian gl. Lips. 340) et in zuigarie 439. Quam rem ita factam esse existimo, ut principio *g* in *j* debilitaretur, deinde *j* sponte excideret. in fine idem valet quod vere theodisca *k* in din*g*-stat 237, thu^{e}n*g* 519, snuriheli*ng* 724, urspri*ng* 739; xxk*g*godes 790, uzdruo*g* 872; quod *h* in ful*g*dun 450 (cfr. annot. ad 399).

K, in initio obvia, est vere theodisca *ch*. deiecta est in voce rinnun 249 (cfr. Anno 168 lâfterin pro klâfterin); idem usu venire videtur in genupdan 846, quod vocabulum derivo a knupfjan. *k* pro *q* posita est, sequente vocali *o*, in *c*onola 407 et 408. ceteris locis *q* restitit: in*q*uedungun 244, *q*ueclichi 295, *q*ueneman 466, er*q*uemoner 467, unge*q*uidheda 832, bether*q*uomon 933. in media voce respondet *k* vere theodiscae *ch*. haec exempla notavi: 1) post liquidas: lan*k*on 19, ual*k*on 166, bir*k*a 195, zestar*c*eon 301, stein-*c*an 370, gfxxl*k*idf 399, en*k*il 457. 2) inter vocales: sxmfrlk*c*on, uui*k*iline (?) 763. deinde *k* usurpata est ante *t* in praeteritis verborum debilium, quorum radices in *cch* finiuntur: zu*c*te 581, er-dru*c*ta 756, uuitheruua*c*ta 819; pro qua semel observavi *h*: furk-scrk*h*db 924. praeterea *k* pro *cch* inveni in lo*k*in 544. idem denique valet quod latina *c* in fur*c*on 513, bu*c*ula 416, cuius genet. pl. bu*ck*elene 712 sonat, ita ut scribae animo fortasse latina forma bu*c*cula sit obversata. *k* in fine respondet vere theodiscae *k* et naturali et ei, quae pro *cch* posita est (que*c*lichi 295, brustro*c* 715, 767, spe*c* 706, bo*c* 759.), deinde vere theodiscae *h*: eic 231, spra*c*huson 309.

H in principio posita idem declarat quod vere theodisca et gotica *h*; nonnullis praeterea locis contra naturam affixa est: *h*uuuillon (?) 36, *h*issun 282, *h*ahorn 313, *h*erzagede 803; item contra naturam semel deiecta est: geolade 764. *h* media est vere theodisca *h*, gotica *h*; in vocibus ei*h*k 14, re*h*o 119, perri*h*e 503 vere theodisca *ch*. *h* in hei*h*l, bi*h*seze (384 et 896) obviam mendosam esse iudico. semel pro *h* occurrit *w* in voce ze*uu*on 553. inter vocales *h* extrusa est his locis: gfscxf 23, gescuin 187, biale 393, leidezoa 446, hoi 529, erspietun 822, hoin 928; ita vero extrusa, ut simul vocalis antecedens exstingueretur, in: fora 211 (sic legendum est pro eo, quod codex praebet Evra) spreithi (pro

spreithahi.) 217, lozonti 390, gemalida 936. post *r* deest *h* in vocibus: thueri 417, inuu'eri 530. liceat mihi hoc loco absolvere, quae de deiecta *h* dicenda sunt. in fine quidem ante *s* et *t* excidit *h*: uasuualco 39, natgala 180; in medio vero vocabulo his sese assimilat consonantibus, ita ut coniuncturae *tt* et *ss* nascantur: lancfa*ss*o 374, 905; reitri*tt*on 504, adhumtui*tt*i 696, reitrhi*tt*ihl 837 (l. reitri*tt*il; hoc vocis mendum ostendit, pugnasse formas *ht* et *tt*.). de qua coniunctura *tt* cfr. Muellenhoffii Monumenta p. 539, ubi addi potest: gl. Bonn. apud Hoffmann ahd. gl. p. 21, 11 flui*tt*iger profluga; oratio aurea (Hpt. XIV. 556.) sla*tt*e. In fine denique *h* deiecta est in: hogecimbri 367, uuitherzo 841. quo loco si adest, idem significat aut quod vere theodisca *h* aut quod *k*: dra*h* 45, tra*h* 46.

CH, vocabula incipiens, idem valet quod vere theodisca *ch*; cuius exempla sunt haec: *ch*elorpn 245, *ch*ust 246, *ch*elesuht 300, *ch*erunga 740, *ch*kfn 818, *ch*nehtheit 827, uuege*ch*eron 848, *ch*frdb 920. in media voce obvia idem designat quod vere theodisca *ch*; deinde, quod *k*: azi*ch*un 265, bur*ch*klinga 533, uueni*ch*un (codex: uueinchun) 922. semel inveni *gch* pro vere theodisca *ch*: gfuuk*gch*xn 884. idem occurrit in glossis Keronianis (Weinhold, gramm. alam. p. 188): thagchio; pro *ch*, gotica *k* sese offert *hch* in bro*hch*e 698, idem *hch* pro *ch*, gotica *h* in gela*hch*oda 838. denique vix est, quod commemorem, pro *ch* etiam scribi *kh*: uurcili*kh*o 558, uuinterli*kh*en 727. eandem literam in fine reperi pro vere theodisca *h* in: si*ch* 821, pro *c* in: speldi*ch* 97, gezu*ch* 108, genu*ch* 693; pro *c* ex *cch* orta in ru*ch* 605, pro vere theodisca, gotica *h* in fera*ch* 672. semel *hc* adest pro vere theodisca *c*: uua*hc* 686. Illa *ch*, quae in du*ch*stein 208 (cfr. 121) apparet, posita est pro *k* inferioris, pro *f* superioris Germaniae.

CC idem valet quod vere theodisca coniunctura *kk*, Otfridi, Tatiani *gg* in uue*kk*e°n 96, brx*cc*b 247, pro qua semel observavi positam esse *cch*: ru*cch*ibein 255; deinde idem quod vere theodisca *cch*: stf*cc*pn 1, bra*kk*o 48 (si quidem aliquid dandum est his homoeoteleutis: leitbra*ck*en: zwa*ck*en Mhd. wb. I. 232ª et: gezwi*ck*en: gestri*ck*en. Parz. 155, 25), uui*cc*un 78, uui*cc*on 139, ba*kk*et 145,

stri*kk*e 156, framgeru*ck*it 278, ufscri*cc*o 409, kinniba*cc*um 413, sta*kk*illun 718, uzerlo*cc*un 722, ro*cc*on 736, sto*cc*on 757, lo*cc*on 791 (codex: lorcon). etiam *cch* pro vere theodisca *cch* occurrit: do*cch*un 223, stu*cch*e 887. *kk* pro *nk* adest 557: sines ta*kk*es. Quod cum vix ipsa pronuntiatione nitatur, comparare licet *gg* pro *ng* adhibitam in carmine dicto, 'Ruolandes liet' p. 262, 1 et 13: ma*gg*en, ubi G. Grimmius (praef. p. XVII) eam sequitur sententiam, ut scribam imitatum esse Graecam *γγ* putet; deinde gl. Sel. 4, 94: aggun. denique annoto *ck* pro *ch*: wickilin (?) 869.

Litera *s* cum gutturali coniuncta plerisque locis sonat *sc*, fortius *ssc*: flei*ssc*es 349 (sic legendum est pro fleiscses.) uue*ssc*enodon 575, Gabini*ssc*imo 701, tuti*ssc*omo 729. quae coniunctura *ssc* non pendet a dialecto; ubicunque *sc* pronuntiatur, subinde *ssc* scripta exstat, et in superiore et in inferiore Germania et apud Saxones (in rotulo Freckenhorst.) ter inveni *sg*: thre*sg*inga 128, di*sg*e 659, heimi*sg*emo 797, semel *sch* — id quod ne apud Isidorum quidem rarum est — tuscani*sch*en 420, semel *ss*; fro*ss*e 174. contra naturam *sc* orta est in coniunctura *scl* pro *sl*: *sc*lxun 294.

Pauca, si placet, addamus de liquidis et de spirantibus *s*, *w*. coniunctura *mb*, pro qua nonnullis locis, (exempli causa dre*nb*il 463), occurrit *nb*, servata est excepta glossa 793: bistūmulot. *nn* pro *nm* posita est in gena*nn*o 852, minus recte (Gramm. I², 874.) pro simplici *n*: giho*nn*it 623. ante *f* obvia est *n* in: ra*n*fte 400. *nl* pro *ll* in sce*nl*enden 569 lapsum calami duco. *n* eiectam reperi in zuogiegun (cfr. Muellenhoffii Mon. 158, 47 arstuat; 185, 12 nintphiec, 211, 36 phiegin, 211, 38 inphiegen.) 802, etgagan 921, ubi comparari potest Ruolandes liet p. 118, 6 A: etsazen iz thie haithene. morem Germaniae inferioris sequens monumentum nostrum transponit *r*: fled*r*pmusin 321, et *l*: sp*l*ider 310 (cfr. Bartsch ad Bertholdum de Holle p. LVII: spilter et splitter). *l* post vocales correptas duplicata saepe est, velut in: huuui*ll*on 36, spi*ll*estede 220, vuigi*ll*a 799. *l* quod ante *f* deest in haftra 267, mendosum esse puto; idem statuo 291 de gfrtb pro gfr*s*tb. simplex *s* pro duplici scripta est 919 in mk*s*iburi, duplex pro simplici in ha*ss*elin 226.

w, sequente *u*, aut duabus aut tribus *u* adhibitis expressa est; post *s* plerumque una *u* posita significatur. idem vel aliis locis factum est: mul*u*erf 123, mil*u*a 323, ualo*u*brkx 251, bazzo*u*a 353, etiam in vocabulorum initiis: *u*acᵇhaldra 31, *u*intbrand 99. extrusa est *w* in cruocuaren 491, untreua 579, zuiuaren 754. adiicio denique, vocabulum mana affixa *w* hunc in modum legi 254: manauua, quod quomodo explicem non habeo.

Converto me ad vocales contemplandas, quae quantum a vere Theodisco usu distent, enarrabo. *a* correpta sequente i, nonnullis locis non est in *e* mutata: h*a*sselin 226, forn*a*ntigenu 389, 395, gr*a*nsin 506, ges*a*mini 590, gr*a*nsi 665, ges*a*rauui 714, uuntdr*a*gili 768. idem plerumque usu venit in vocibus in *a*ri exeuntibus, ubi *e* his tantum locis deprehendi: duch*e*ra 163, spareuu*e*re 181, lugen*e*ri 897. nam correptam esse hanc *a*, demonstrat forma hileichemach*i*ri 657. deinde *a* in modum inferioris Germaniae (Gramm. I[3] p. 254) posita est pro *e* propter clasin (brechung) nata: *a*lpantbein 70, uu*a*ruo 697.

a longa manet praeterquam quod in c*e*sekar 24 (cfr. etiam annot. ad 1.) metaphonesis (umlaut) locum habet. addo cetera, quae de metaphonesi dicenda sunt. *u* longa in *iu* mutata est in: f*iu*li 212, gel*iu*ru 619 (vide notam). nec brevis *u* metaphonesin respuere videtur: ita enim explico st*i*rnilpd 303. nusquam sane occurrit haec vox, sed praesto est sturni et verbum stornên; itaque, ut mittî, mittil, mittilôd(i), hic ordo: sturnî, sturnil, sturnilôd statuendus est. eandem metaphonesin agnosco in uurppi, pro quo uuippi scribendum esse censeo (325), quamquam non nego, etiam uueppi posse restitui. tertium exemplum praebet adhumt*ui*tti 696. vestigia denique metaphoneseos longae *o* inveni in: tr*oi*stanne 471. cunctae hae significationes docent, metaphonesin illam quidem pronunciatam, nondum vero in scribendo fixo aliquo signo notari coeptam esse. metaphosin anomalam puto adesse in xzfrxx*f*llkn 275, cum unde haec vox nisi a 'wallan' verbo derivanda sit, nesciam.

Adiungo, quae de clasi notavi. quam superioris Germaniae con-

stituunt dialecti normam his locis excedit: hbrl*p*f 42, harl*o*uk 148, curbezb*e*ron 200, sp*e*rdherende 524, *o*uar 682, br*o*hche 698; nec vero eam attingit normam in: u*i*rheih (?) 192, x*æ*gblxxfkdxn 232, f*u*gbl 260 (cfr. 89 annot.), *i*z 689, ersp*i*etun 822, st*i*gun 823 (cfr. st*f*gxn 882).

ê posita est: 1) pro *î*: erst*e*uoda 414. (cfr. Bartsch ad Berth. de Holle p. XLIX, quamquam primum, quod affert, exemplum, Crane 30: Nû wil ich iu tôn bekant, Wû ein getrûwe trûwe vant, Sô mir de wârheit hât geseit Ein vorste junc und gemeit, Von Brûnswîch herzoge Jôhan, Uf den ich wol *gezêhen* kan, Want sîn munt vil nôte spreke, Dat her it mit willen breke: — non a gezîhen, sed a geziehen ducendum esse persuasum habeo, ita ut sententia haec sit: materiam accepi a Johanne duce, ad quem optime provocare possum, quia veritatis est amantissimus.); 2) pro *ei*: r*e*gero 167, beh*e*zun 690, st*f*nin 916; 3) pro *ie*: gr*e*tuuardun 559.

i invasit: 1) saepe pro *e* atona: scellh*i*nde 183, gespann*i*nemo 566, stinch*i*ndun 630 etc; 2) in ipsis stirpibus pro *e* propter metaphonesin orta: bis*i*ngon 29, uu*i*ndilmeri 444, ungequ*i*dheda 832.

î observavi: 1) pro *ei* in: uzf*i*mondan 451. (cfr. Bartsch, Berth. de Holle p. LII.); 2) pro *ê* in *i*rista 870 (cfr. Ruol. liet 304, 26 P: des w*i*nigin man; vel nunc Aquisgranis *î* pro *ê* pronuntiari exemplis confirmat Frommann, dialecti II, 546); 3) pro *ie*: ing*i*nc 21, sc*i*zan 65, k*i*ne 433, gem*i*dider 548.

o scripta est: 1) pro *a* ante liquidam literam: w*o*luo 327. 2) pro *e* atona: tutissc*o*mo 729, g*o*mischi 741. cfr. 611 annot.

ô locum habet: 1) pro *ou*: z*p*frxngb 38, h*o*uit 110, l*p*xxn 219. cfr. 683 annot; 2) pro *iu* (cfr. Bartsch Berth. de Holle p. LIII): ger*o*dede 76. 3) in dr*o*sno*v*n 618 pro *uo*? cfr. ags. drôsen.

Deinde commemoro *u*, bis in particula un h. e. in, ent obviam: *u*nniuzu 616, *u*nsliuzun 702.

û inveni: 1) pro *iu*: undfrst*æ*rit 13, spr*u*zent 28, gez*u*ch 108,

hpuukscxrxn 280, r*u*zzungen 411, r*u*zzunga 474, h*u*lon 634, t*u*-tisscomo 729; 2) pro *uo*: gfsc*x*f 23, pl*u*ges 110, 116, b*u*cha 118, thr*u*sana? 134, gesc*u*in 187, fr*u* 201, br*u*dan 455, u*u*dunga 477, ceu*u*ron 574, gr*u*nispeht 667, gen*u*ch 693, sn*u*riheling 724, slkngersn*u*ri 890. cfr. 685 not.

Transeo ad diphthongos. *ei* adest: 1) pro *ie*: beu*ei*ngen 520; 2) pro *e* ex methaphonesi orta: st*e*incan 370, gkz*ek*ntb 567.

eu obvium est pro *iu* in untr*eu*a 579, fortasse etiam in zuiuaren 754, siquidem legitur zuiuar*eu*. (cfr. vitam St. Uodalrici quam edidit Schmellerus, p. VIII: werdeu.) nam zuiuaren ad Vergilii verba adaptari quomodo possit, non video. nescio an ad dipthongum *eu* adhibendam aliquo modo valuerit, quod in utroque vocabulo *w* elisa est.

eo in zestarc*eo*n 301 obvia significare mihi videtur, scribam inter formas starc*e*n et starc*o*n incertum haesitasse.

iu, praeterquam quod est in spr*iu* 169, non nisi *i* vel *u* sequentibus, nonnunquam animadverti. *io* quater observavi: h*io*faldrun 103, r*io*tgras 266, gr*io*zon 495, th*kp*zfnt 937. ceteris locis semper *ie* scripta est (aut *î*, de quo antea dixi). praeterea adhibita est *ie* pro *î* in l*kf*mf 94, p*ie*pho 903.

Diphthongus *uo*, quae sola, non *ua*, adest, ter ita expressa est, ut supra *u* poneretur *o*: ru°ze 30, ungeu*u*°ri 426, gr*u*°zzit 487. pro *ô* adhibita est in: dh*uo* 563, *xp*xxkst 816.

Bis inter liquidam et mutam vocalis intrusa eadem est, qua stirps utitur: inter *m* et *b*, qua de causa pro *m* posita est *n*: cbn*b*xpn 262, et inter *r* et *g*: beiber*e*gun 716. denique pauca assimilationis exempla adicio velut: edili 580, gesamini 590, ungeuuizini 785, gesithili 792; aldasta 583.

Vocalium rationibus demonstratis pergo ad nominum flexionem. Qua in re ea potissimum ex difficultate laboramus, quod in glossis nunc latinae vocis casus est expressus, nunc nominativus positus,

ita ut in casibus qui eodem modo finiant quo nominativus, res in medio sit relinquenda.

Atque masculina declinationis fortis primae gen. sing. in *es*, dat. in *e* formant, nomin., acc. pl. 1) in *a*; 2) in *e*: strikk*e* 156, foss*e* 174; 3) in *i*: uueidespiez*i* 886. genetivi pl. exemplum unum deprehendi: zorn*o* 484. dat pl. finem facit 1) in *on*; 2) in *un*: rkmg*xn* 263, sclx*un* 293, tepid*un* 835; 3) in *en*: spizz*en* 225; 4) in *in*: ring*in* 385, lok*in* 546, scrikk*in* (?) 556, blasbalg*in* 769 (quam vocem huc referendam esse, ostendit nomin. pl. blasbalga 762).

Secundae declinationis masculina utuntur in nom. sg. litera *i*; *e* semel inveni in spareuuer*e* 181.

Ex tertia declinatione unum obvium est exemplum: frithu 438.

Masculina declinationis quartae has formas praebent: genet. sg. plug*es* 110, 116, dat. brohch*e* 698, nom. pl. grans*i* 665, acc. pl. hxrst*k* 794; eppel*e* 153, disg*e* 659, dat. pl. grans*in* 506.

Feminina primae declinationis dat. sg. in *u* formant, semel in *o*: halu*o* 551, dat. pl. 1) in *un*: ged*un* (?) 105, runs*un* 806; 2) in *on*: bonon (?) 137; 3) in *en*: ruzzung*en* 411. acc. pl. in *a* — siquidem hae formae non referendae sunt ad nom. sing. — uuis*a* 55, sih*a* 209, lozung*a* 418, gelegid*a* 425, uudung*a* 477.

Feminina secundae declinationis servant *i* et dativum pl. finiunt in *in*: ho*in*, fest*in* 928.

Quartae declinationis feminina praebent gen. sg. in *i*: gilust*i* 434, dat. item: eich*i* 14, 849, slkngersnur*i* 890. nom. acc. pl. et *i* et *e* (hurd*e* 85.) vocali utitur, dat. pl. *in* et *en* (thincsted*en* 238.).

Neutrorum primae declinationis nom. acc. pl. in *er* finientium quatuor adsunt exempla: loch*er* 82, eii*er* 175, hol*er* 424, bled*er* 475.

Secundae declinationis neutra nom. acc. sg. in *i* finiunt et *e* (denn*e* 120, 152, olebere 154, thunuueng*e* 859; gfscx*f* 23, uuepp*e* 874 fortasse dativi sg. putandi sunt.). nom. pl. finem facit in *i*, acc. in *e*. forma bibircie 71, (Graffius III. 22 affert bibirize castoreum) magis mihi significare videtur scribam inter *i* et *e* incertum haesitasse, quam ad vetus illud *iu* referenda esse. dat. pl. utitur

fine 1) *in*; 2) *en*: ber*en* 63; 3) *un*: inuuerd*un* 656. adiecta litera *n* haec huius declinationis neutra occurrunt: curbeli*n* 67, sumbri*n*on 737, wikili*n*e 763, wickili*n* 869.

Adiectivorum (et participiorum) declinationis fortis masculinorum nom. sg. *er*, gen. sg. *es* sonat, dat. sg. 1) *emo*; 2) *emu*? hoc enim restituendum esse videtur in fornantig*enu* 389 non minus quam *emo* in fornantig*eno* 395; 3) *imo*: Gabinissc*imo* 701, sineuuell*imo* 719, geuiled*imo* 765; 4) *omo* tutissc*omo* 729; 5) *em*: dusin*em* 252, acc. sg. 1) *an*; 2) *en*: scenlend*en* 569, nom. acc. pl. *e*, semel *i*: frbmhald*i* 257, dat. pl. *en*. femininorum nom. sg. exit in *iu* (de *eu*, quod in zuiuar*en* 754 fortasse locum habet, supra dixi.), dat. sg. 1) in *era*: fernpzfn*frb*. 9, ruzzend*era* 565; 2) in *eru*: thunn*eru* 940; 3) in *ero*, vel potius, eliso *e*, in *ro*: uasthabend*ro* 770, acc. sg. in *a*, nisi his locis nom. sg. fem. debilis declinationis agnoscere mavis: snell*a* 453, geuolan*a* 537, ungequidhed*a* 832, nom. pl. in *e*: helland*f* (? potest participii forma non flexa hic latere) 20, zuned*e* 114, ceinsend*e* (?) 177, gescunt*e* 584, acc. pl. 1) in *e*: geroded*e* (? = tonsas novales; fortasse enim est neutr. scil. niulenti) 76; 2) in *a*: gemalid*a* 936. nom. sg. neutr. servat *az*: ungentag*az* 377, fizzel*az* 573. nom. pl. praebet: 1) *iu*: rod*kx*, brxn*kx* 250, valoubr*kx* 251, gebunden*iu* 842, rinnind*iu* 866; 2) *u*: ciusc*u* 894, unciusc*u* 895; 3) *o*: ungetriuuu*o* 375; 4) *e*: gegrauen*e* 526, glicend*e* (nisi est masculinum, ad vocem darda pertinens) 535, claffend*e* (?) 640, geherstid*e* 745, heuug*e* 775; 5) *a*: gkzeknt*b* 567, samefrezenn*a* 596.

Alterius adjectivorum fortium declinationis has formas non flexas observavi: druou*i* 620, rein*i* 621, eng*i* 851.

Substantivorum et adjectivorum flexionem debilem nunc complectar. atque masculinorum nom. sg. exit 1) in *o*; 2) in *e*: scoll*e* 75, kin*e* 433 (? fortasse male intellecta est latina vox 'taedae', et sing. dat. positus); 3) in *i*: uuntdragil*i* 768. genetivus finem facit in *en*: uuinreu*en* 214, tuscanisch*en* 420, her*en* 805. in idem dativus: sxkbpg*fn* 234, grau*en* 358. acc. in *on*: mag*on* 478, betherquom*on* 933. nom. pl. 1) in *on*; 2) in *un*: strim*un*, stramul*un* 168,

flad*un* 224, erlechend*un* (? scil. munda; an, latinam vocem sequens, neutrius generis?) 509, gretuuard*un* 559; dat. pl. 1) in *on*; 2) in *en*: lantuou*en* 658; 3) in *un*: kinnibacc*un* 413, (sic pro -um legendum) uuild*un* 661. acc. pl. 1) in *on*; 2) in *en*: zag*en* 804.

Nom. femininorum sg. exitu utitur 1) in *a*; 2) in *e*: bescelede (?) 215, ungeuuand*e* 617; 3) in *i*: iuu*i* 210. gen. 1) in *un*: 2) in *on*: sunn*on* 15, luffen*on* 79. dat. 1) in *un*; 2) in *on*: binesug*on* 6. acc. 1) in *un*: iunger*un* 892; 2) in *on*: uuicc*on* 139. nom. pl. 1) in *un*; 2) in *on*: huuill*on* 36, iuu*on* 210, angesez*on* 304. gen. pl. in *ene*: buckel*ene* 712 — nam hagazvss*un* 412, quamvis sit adscriptum ad genetivum 'Furiarum', puto esse nominativum pl. —. dat. pl. 1) in *on*; 2) in *un*: rinn*un* 249, stfg*xn* 882. acc. pl. 1) in *un*; 2) in *on*: lank*on* 19, furc*on* 513, zeuu*on* 553, uuegecher*on* 848.

Neutrius nominativo sg. asscribenda utrum sit forma udra 532, an ad dativum masculini referenda fortis, dubito. ceterum non desunt vocabula, quae neutrius debilis sese accommodaverint formis: sprachus*on* 309, dierleger*on* 430; leger*un* 627; dat. pl. frhxs*pn* 288. praeterea commemoro ex neutro genere dat. sg. or*en* 858 et adiectivorum (participiorum) acc. pl. thunn*un* 516, unbestunbelod*un* 910.

Adiungo eas voces, quae aliis locis 1) nunquam aut 2) raro debilem flexionis modum sequuntur. 1) masc: stallon 15, kine (?) 433, bodhomo 489, stadalon 627, zugilon 833 (? in textu est: inter lora, fortasse igitur. voluit glossator: in zuisken zugilon.), uirstboumon 854. fem: clefelun 106, inquedungun 244, drosno^{v}n 618, behezun 690, beiberegun 716, 788, stakkillun 718, uuardun 808. neutr. iam de eis dixi. 2) masc: regero 167, cbnbxpn 262. fem: binesugon 6 (gl. Zwetl. apud Hoffm. ahd. gl. 41, 8: pinosugun thymo), huuuillon 36 (quam vocem Mhd. wb. I. 758^{b} quidem debilem ponit; sed fortis modi formas non deesse, ostendunt exempla a Graffio I. 522 allata), uuiccun 78, 139, segun 95, hiofaldrun 103, 291 (cfr. gl. Sel. 6, 640 tribuli hiuffildrun), garuon 179, iuuon 210 (cfr. gl. Verg. Berol. iuuan taxi.), xxgblxxfkdun 232 et 235 not. (cfr. psalm. Trev. 99, 4: scaf weiden siner oves pascuae eius) hpuukscxrxn 280, sblxxn 296, sumerladun 405, 644, 721, helligruouun

435, huttun 461, segalgerdun 606, zangun 770, stigun 823, stfgxn 882, scindelun 883. omnia haec exempla ad primas et masculinorum et femininorum et neutrorum declinationes pertinent nec usquam ceterae declinationes in nostro monumento eo modo laeduntur, quo verbi causa in psalmis Trevir., ubi tales formas invenio: guden bonitatem 37, 29, friden pacis 40, 10 etc.

Pronominibus his incidi: mir 21, se 330; iz 689, themo 847.

Adverbia exitu utuntur: 1) in *o* 2) in *i*: queclich*i* 295. 3) in *a*: samaᵏaft*a* 423.

Restat, ut commemorem, bis obviam esse formationem *inga*: thresg*inga* 128, uuend*inga* 161, semel (n)*issi*: bkxxntn*kssi* 69.

Venio nunc ad verborum flexionem. primum de fortibus verbis dicam. praesentis pers. prima nunc in *u* (suuimm*u* 458, niuzz*u* 615, unniuzz*u* 616) nunc in *o* (ufscricc*o* 409) nunc in *un* (unsliu*zun* 702) terminum constituit, tertia pers. in *it*, nec non in *et* (uuitgang*et* 176). eadem forma verbi substantivi sonat: ist 693. pl. pers. tertia finem facit in *ent*, semel in *en* (bizen 59) quae apocope auctore G. Grimmio (grâve Ruod. p. 8, Athis, act. acad. 1844 p. 361) mediae propria est Germaniae. — praeteriti tertia pers. pl. exit 1) in *un*; 2) in *on*: auenamon 2, ceuuron 574. coniunctivi has adnotavi formas: uzbluuue 92, hiuue 649; beueingen 520, imperativi sg.: drbh 45, trbh 46, drkp 50, 330, pl. bakket 145, malet 146; sciezzent 876. infinitivus exit in *an*, semel in *in*: xzfrxxfl*kn* 275, part. praes. 1) in *andi* (hellandf 20, rkngbnder 274); 2) in *indi* (rinnindiu 866, scellinde 183, stinchindun 630); 3) in *endi*. part. praet. non flexum semper fine *an* utitur, flexum vero praebet 1) *en*; 2) *an*: benanganan 576; 3) *in*: gespanninemo 566; 4) *on*: erquemoner 467. in duobus undecimae conjugationis (erqu*e*moner 467, ber*e*chene 592) verbis *e* pro *o* posita est. nec vero prorsus puto, mendum hoc loco latere; comparo, omissis quae apud recentiores qualis est Muscatblut, scriptores usu veniant, exemplis,

formam, 'gezemen' in carminis 'klage' v. 970 manuscriptis ABCD exstantem.

Verborum debilium primae (i-) coniugationis praes. persona prima, radicibus longis, exitum facit 1) in *u*: eruuerd*u* 378, geliur*u* 619; 2) in *iu*: kemb*iu* 684; 3) in *on*: bising*on* 29, radicibus brevibus in *iu*: besuer*iu* 830, 932. eadem secundae (o-) coniugationis persona praebet *un*: meld*un* 379, uzerlocc*un* 722, cfr. 72 annot., tertiae (e-) coniugationis 1) *on*? rfr*pn* 287; 2) *en*: misstruuu*en* 376. tertia sg. persona primae coniugationis exit in 1) *it*; 2) *et*: uzsuizz*et* 81, hfrd*ft* 276, zeig*et* 481, secundae in *ot*, tertiae in *et*: anahald*et* 54. eadem pl. persona primae fine utitur *ent*, secundae 1) *ont*: screcc*ont* 681; 2) *ent*: ruz*ent* 22. praeteriti primam sg. personam sola in prima coniugatione reperi: genazda 692; eiusdem coniugationis tertia sg. persona adest in: ruomida 546, benazta 691; secundae haec forma plerumque sonat *oda*, nonnunquam *eda*: underbrordeda 465, iageda 525. utrum ad primam an ad secundam pertineat uzsnudda 836, dubito. tertiae hae formae sese offerunt: erbaldeda (?) 366, irsuarzeda 410. prima pl. occurrit in prima: gfŝbkdxn 3, tertia in eadem, ubi aut *dun* (in longis) aut *idun*, *edun* (ucg*edun* 705) sonat; in tertia observavi *idun*: gru*idun* 404, in secunda 1) *odun*; 2) *edun*: claf*etun* 554, scid*edun* 689, erspi*etun* 822. adiungo, quae de praeteriti participio dicenda sunt. primae coniugationis participium non flexum finem facit in *it*, semel in *et*: eruuarmet 860, in *t*: geuuort 801, gebouut 899; flexum iungente utitur vocali: 1) *e*; 2) *i*: gemid*i*der 548; 3) *a*: geol*a*de 764. secundae participium non flexum habet *ot*, flexum vocalem adhibet: 1) *o*: unbestunbel*o*dun 910; 2) *e*: gescid*e*demo 632; 3) *u*: anagebrord*u*der 522. solum, quod particula *ge* careat, participium est zunede 114. addo denique, non omnia ea primae coniugationis participia, quae longis utantur radicibus, ut vel ex eis, quae iam attuli, exemplis apparet, vocali coniungente se abstinere. coniunctivi praes. haec adest forma: carro 264. imperativi primae coniugationis haec exempla legi: genendi 761; gegazet 497. infinitivus primae et tertiae (uuer*an* 203) in *an*, secundae in *on* exit. infinitivus primae flexus his locis obviam venit: gemestanne 259, troi-

stanne 471. participium praes. primae coniugationis praeter trhasindi 253 legisse me non memini; eadem secundae forma exit in *endi* et *ondi* (velut smierondi 354, smkfrendk 925; ruzondi 454, ruzzenden 502), tertiae in *endi.*

In eiusdem codicis, in quo hae glossae Vergilianae continentur, folio 42 nomina aliquot herbarum, arborum, avium, ferarum inscripta sunt. de quibus cum auditionem accepissem, apographum accuratum atque correctum a doctore Michelant Parisiensi impetravi cui hoc loco gratias ago quam maximas. brevibus consonantium vocaliumque rationes exponere mihi liceat.

